



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De conuersione cuiusdam, qui alteri ante ostium portae nocte apparuit in  
specie infantis, cap. 20.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

iustorum, audi quid post hæc actum sit. Cùm socij ac tota familia Henricum, vt iam dixi, deplangerēt, Andreas quidam parisiensis, ex nimia impatientia doloris, quasi in furorem versus, dominum suum ebrium, insanum, mentisque impotem vociferabatur, neque conuitijs neque blasphemijs parcens. Et cùm Henricus virum sanctum deprecaretur, vt pro illius conuersione operam daret, respōdit: Ne sis pro illo sollicitus, anima eius modò in amaritudine est, tuus est ille. Et cùm repeteret audiente Andrea hoc verbum, ille sanctam religionem plurimum abhorrens, talia in corde suo tacitus voluebat, sicut postea confessus est: In hoc te nuntio falsum esse prophetam, de hoc enim certus sum, quod locutus es verbum, & non fiet. Hoc tibi coram Rege, & principibus, in celebri conuentu improperabo, vt falsitas tua omnibus innotescat. Et cùm altera die recederet, mala omnia monasterio imprecans, & vallem funditus subruui desiderans, in ipsa nocte victus, & quasi vinctus, trahente se gratia, & vim faciente spiritu Dei, vix diem expectare potuit, & ad monasterium reuertens, cunctis mirantibus, alterum se exhibendo Saulum, beato viro se reddidit. Vbi quæso in isto fuit conuertendi voluntas, siue conuersionisabilitas? Ecce Andreas iste, quantum in ipso fuit, à gratia se auertit: sed virtus orationis sanctorum, aduersum potenter conuertit. APOLLONIVS: Mira sunt hæc & stupenda, & vt considero, iustorum oratio præcipuè peccatoribus est appendenda.

*Act. 9.*

CAPVT XX.

CÆSARIVS.

**I**N domo nostra quidam monachus est, qui ad ordinem veniens, germanum suum, quem vnicum habuit, adhuc conuersioni, propter ætatem infinisabilem, in seculo reliquit. Timens eum seculi impedimentis irretiri, eiusque per hoc conuersionem impediri, quotidie Dominum orauit, maximè tamen beatam eius genitricem, vt illius suis precibus acceleratè

ratè

zare dignaretur conuersionem, cuius in seculo periculosa esse considerauit habitationem: nouerat pueros à suo proposito facile posse auerti, Attendens pius Dominus, pium monachi circa germanum studium, cordi Abbatis immisit, vt puerum suscipere, quem infra annos, sine officij sui periculo, suscipere non potuit. Ea nocte qua habitum induit, quidam ex sacerdotibus huiusmodi visionem de illo vidit, Videbatur ei quòd matrona pulcherrima ante ostiũ monasterij staret, & puerum pulchrum in brachijs teneret, a quo interrogata cuius esset puer ille, respondit: Filius illius monachi est, fratrem eius nomine designans, simulque nomen nouitij intrantis exprimens: & sicut ipse intellexit, qui hanc visionem vidit, ipsa matrona pulcherrima, beata Dei genitrix fuit. Secundum Apostolum; Qui alium verbo vel exemplo ad bene viuendum informat, hunc profectò tanquam proprium filium Christo generat. Quod autem eundem nouitium venerabilis virgo Maria ad ostium monasterij, quasi mater filium, dignata est presentare, dedit patenter intelligere, eius conuersionem predictum monachum suis orationibus per eius magna merita obtinuisse. APOLLONIVS: Satis ex his cognosco virtutem orationis, superest vt cognoscam & virtutem, quæ est in exemplo religionis. CÆSARIVS: Hoc scias, quia multi quotidie sine exhortatione sermonis, nullis specialibus adiuti orationibus, per sola exempla religionis ad ordinem trahuntur, & per quædam signa deuotionis, disciplinæ, vel sanctitatis, quæ vident, conuertuntur.

1. Cor. 4.  
 & ad  
 Philem.

## CAPVT XXI.

**F**RATER Theodoricus monachus noster, cum adhuc adolescens esset in seculo, sacerdotè quendam cognatum suum iam nouitium visitare venisset; sed non vt conuerteretur venit. Contigit interim fratrem mortuum sepeliri, quo sepulto, cum conuentus dicta Antiphona, Clementissime Domine, circa sepulchrum hinc inde cum multa humilitate, veniam peteret, diceretq;: Domine miserere super peccatore;

B 3

ita